Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26151
Copyright: Admont, Benediktinerstift

suam sponte offerentis. qui morte nichil deberet
pro nocivo et crudeli. quia non ita condignum [illegible]
imitatorem et efficacem in provocatione esset ~~exemplum~~ esset
exemplum cuiuslibet hominis ad dei honorem mortem suam
offerentis. qui licet morti debeat ut aliter et decius forte
quam ad honorem dei ipsam mori necesse esset. Unde Augustinus
in sermone de resurrectione Et timoris et spei nostre salvator.
eque consuluit et providit dum morte sua mortem
pro ipso non timere nos docuit et resurrectione vitam eternam
sperare fecit. Secundo consideranda est experte Christi satisfa-
cientis ipsius satisfactionis congruencia. quantum ad
sui perfectionem. necesse fuit ut Christus volens in sua
satisfactione exhiberi patri summam obedienciam et demonstrare
erga homines summam caritatem ad sue satisfactionis per-
fectionem commendandam subiret summe arduum opus
obediencie quod erat mors crucis. et summe arduum opus
caritatis. quod erat ponere animam non solum pro amicis
ymmo pro inimicis ut amicos sibi faceret dei inimicos
Ad philippenses 2o factus est obediens patri usque ad
mortem. mortem autem crucis Ad Romanos 5o Commendat
deus suam caritatem in nobis quoniam adhuc cum essemus pecca-
tores Christus pro nobis mortuus est etc. Unde Bernhardus in
epistola ad innocencium papam de passione Christi In Christi
obediencia qua patri obedivit tria quedam precipua in-
tueor et amplector. formam humilitatis qua semet

+ quod erat obedire usque ad mortem inclusive et
summe arduum opus humilitatis